



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

2. Ex quo divinæ &c. Immunitates quædam & exemptiones à Vectigalium aliorumque onerum publicorum solutione revocantur.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)



seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentis semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quoadcunque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

Clausula  
sublata &  
Decretum  
irritans.

§. 5. Sicque, & non aliter in præmissis censi, atque ita per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quæcunque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio  
contra-  
riis.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis quibusvis personis, Collegiis, & locis, etiam specificâ, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter ac aliâ quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specificâ, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & exactissimè servatis, & specificatis respectivè habentes, illis alias in suo robore permanens, hæc vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissimè, & amplissimè motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Præsentis  
debitis in  
locis affi-  
genda.

§. 7. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædictâ mandamus, ut eadem præsentis, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam faciliùs deducantur, nec quispiam de eis ignorantiam prætereundè valeat, ipsas præsentis, seu earum transumpta ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, & arcere, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Trans-  
sumptio-  
rum fides.

§. 8. Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus tam in judicio, quàm extrâ illud ubique locorum fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio  
pœnalis.

§. 9. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrî Statuti, Decreti, declarationis, derogationis, voluntatis, ac mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

D. 12. Mar-

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incar-

nationis Dominicæ 1676. quarto Idus Martii, Pontificatus Nostrî Anno primo.

S. Datarus. J. G. Slustus. Vissa de Curia S. de Pulastris D. Ciampinus.

Immunitates quædam & exemptiones à Vectigalium aliorumque onerum publicorum solutione revocantur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX quo divinæ bonitati placuit humilitatem Nostram, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, in excessa Sedis Apostolicæ specula collocare, omne quidem studium, operamque in id contulimus, ut spiritualibus Dominici gregis curæ Nostræ commissi commodis pro viribus Nobis à Domino concessis consuleremus. Dum autem salutare hoc propositum assidue urgemus, paternam sollicitudinem Nostram ad temporales quoque Nostrorum, & dictæ Sedis subditorum necessitates libenter convertimus, ut reductis ad æquitatis, & justitiæ normam illis, quæ publicam inopiam prægravant, Rempublicam, quantum Nobis ex alto conceditur, salvam præstare, illiusque utilitatibus providere satagamus.

tii 1676.  
Pont. anno  
primo.

II.

Exordium  
à tempora-  
li non mi-  
nus quàm  
spirituali  
gregis  
commodo  
promo-  
vendo.

§. 1. Cum itaque (sicut Nobis innotuit) per quasdam immunitates, & exemptiones à vectigalium, aliorumque onerum publicorum solutione, & supportatione, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & Sede prædictâ, illiusque forsitan de Latere Legatis, ac aliis ejusdem Sedis, & Camera Nostræ Apostolicæ Officialibus, & Ministris, ad importunas supplicantium preces, seu alias quomodolibet concessæ reperiuntur, Camera prædictâ, ac Communitates, Universitates Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum temporalis S. R. E. ditionis eam redditum, & proventuum fuorum diminutionem patiantur, ut non solum ordinariis oneribus, quibus de presenti ob tot sumptus in causam communem laudabili pietate factos supra vires gravatæ existunt, satisfacere nequeant, sed etiam novis oneribus universos, & præsertim pauperiores, ad supplenda ea, quæ aliquibus, illisque plerumque locupletioribus remittuntur, affligi, nisi res ad æqualitatem redigantur, necesse sit futurum.

Exem-  
ptiones e-  
jusmodi  
ordinariis  
oneribus  
oblunt.

Et non  
exemptos  
prægra-  
vant.

§. 2. Hinc est quod Nos Camera, ac Communitatum, & Universitatum, subditorumque Nostrorum prædictorum indemnitati, & levamento, quantum cum Domino possumus, æquè principaliter consulere cupientes, ac fel. rec. Sixti V. Pauli etiam V. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. & Clementis X. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui Constitutiones similibus exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhærentes, nec non quarumcunque concessionum, immunitatum, & exemptionum hujusmodi, Litterarumque Apostolicarum sub plumbo, ac in simili forma Brevis, cedularum motus proprii, & chirographorum, cujusvis Romani Pontificis Prædecessoris Nostrî manu subscriptorum, ac aliarum Litterarum, & scripturarum desuper quomodolibet emanatarum, pluriesque etiam confirmatarum tenores, etiam veriores & datas, ac occasiones & alia, etiam speciali ac individua expressione digna, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & verbatim insertis respectivè habentes; Motu proprio, non ad cujusquam nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hæc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, omnes & quascunque exemptiones, & immunitates, à solutione subsidii triennialis, nec non quarti illius adjuncti, quatinorum

Quare  
Prædeces-  
sorum ex-  
emplo re-  
vocantur.

carnis,



Exemptionum species.

carnis, taxarum equorum, talliarum, censuum, archivi, fogliettae, triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum quaruncumque, taxae portus Anconae, quatinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, & quorumlibet aliorum onerum, & munerum personalium, realium & mixtorum, ordinariorum & extraordinariorum, solitorum & insolitorum Cameralium quorumcumque, ac etiam eorum, quae per Communitates & Universitates directe, vel indirecte pro eorundem onerum Cameralium solutione publicorumque munerum supportatione, ac pro viis, & pontibus construendis, instaurandis, muniendis & manutendis, aliisque indigentis, & ubibus quibuscumque, tam Camerae, quam Communitatum, & Universitatum praedictarum, seu alias indicta & imposita, ac exigi solita sunt, nec non ab obligatione recipiendi & hospitandi milites, & Sedis praedictae Officiales, Barigellos, Executores, aliosque Justitiae Ministros, eisque utensilia, & alia necessaria ministrandi, per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, ac eandem Sedem Apostolicam, & quovis Sedis & Camerae praedictarum Officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, etiam Camerarios, caeteroque etiam speciali nota, & expressione dignos ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis Communitatibus, Universitatibus, Civitatibus, Terris, oppidis, & locis ditionis temporalis S. R. E. praedictae, ac etiam quibuscumque Feudatariis, Censuariis, Dominis locorum, familiis nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cuiusvis status, gradus, conditionis & praeminentiae existentibus, ac quavis dignitate, etiam Ecclesiastica, & auctoritate praedictis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui castra & jurisdictiones intra limites dictae ditionis temporalis S. R. E. possident, etiam qui nihil ratione castrorum & jurisdictionum huiusmodi Sedi praedictae annuatim, seu alias persolvunt, & tam incolis, quam extraneis, & forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel se moventia habentibus & tenentibus seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis & laboratoribus, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritum, seu illorum intuitu, & contemplatione ac ex alia quacumque, quantumvis favorabili, ac urgentissima, & de necessitate specialiter exprimens causa, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, etiam in appaltuum, & locationum Cameralium instrumentis, quantumvis auctoritate Apostolica confirmatis promissum, & cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & alias quomodocumque & qualitercumque, in genere, vel in specie, ad vitam, vel ad tempus, sive in perpetuum concessas & datas, ac pluries & iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas & innovatas, & inde etiam iudicis auctoritate sequuta quacumque, nec non quavis litteras etiam Apostolicas sub plumbo, vel in simili forma Brevis, Motus proprii cedulas, chirographa, & scripturas huiusmodi ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque & effectu penitus & omnino evacuamus, & revocata, cassata, sublata, & abrogata, irrita, abolita & annullata viribusque & effectu penitus ac omnino vacua esse, nec ulli prorsus in petitorio, aut possessorio, etiam summarissimo contra praesentium litterarum tenorem, & dispositionem suffragari posse, sed praedictos omnes, & singulos exemptos ad omnium & singulorum onerum praedictorum solutionem & supportationem, pro rata eos tangente, in posterum realiter, & cum effectu teneri in omnibus &

per omnia, perinde ac si dictae exemptiones & immunitates eis nullatenus concessae fuissent, nec litterae ac cedulae motus proprii, chirographa & scripturae huiusmodi unquam emanasset, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine praedictis decernimus, statuimus, & declaramus.

§. 3. Praeterea omnia & quaecumque privilegia, & indulta personis Ecclesiasticis, tam Secularibus, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis & Instituti ac Societatis, etiam Jesu, Regularibus super similibus immunitatibus & exemptionibus, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros concessa, ad Limites Juris communis, motu, scientia, deliberatione & potestatis plenitudine & tenore praedictis reducimus.

§. 4. Illa vero quae nonnullis Collegiis in alma Urbe nostra existentibus per dilectos Filios Clericos Regulares dictae Societatis Jesu, sive alios quoscumque administrari consuetis, similiter a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris concessa fuerunt, quoad victum & vestitum dumtaxat, non autem ut vulgo dicitur, a fundato & magazzino, prout ante hac observatum fuit, suffragari volumus & decernimus.

§. 5. Ac demum similia privilegia & indulta, Nepotibus, & aliis consanguineis, vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, pro tempore viventium, ab illis respective concessa, itidem revocamus & abolemus, ac revocata, & abolita esse ac ceteri debere volumus & statuimus. Declarantes illa nemini eorundem Nepotum, sive consanguineorum, vel affinium a die Nostrae ad summi Apostolatus apicem assumptionis suffragari posse & debere, seu potuisse ac debuisse.

§. 6. Per praemissa autem non intendimus revocare exemptiones & immunitates, quibuscumque personis Ecclesiasticis, tam Secularibus, quam Regularibus de jure competentes, neque Thesaurariis, Appaltatoribus, & conductoribus bonorum, introituum & jurium dictae Camerae nostrae ab ipsa Camera, vel aliis illius nomine in appaltuum & locationum instrumentis, & illorum ratione, ex contractu tituloque vere oneroso concessas.

§. 7. Ac insuper a revocationibus, & aliis supradictis excipimus, & exceptas esse volumus & declaramus, immunitates & exemptiones quibusvis Universitatibus & personis datas & concessas, in vim contractus ex causa vere onerosa, videlicet congruae, & effectualis pecuniarum solutionis, & non alias, eidem Camerae Apostolicae, vel ipsis Communitatibus legitime factae, vel aliis rationabilibus causis per Nos cognoscendis, & approbandis, ut infra, ac etiam declarandis: quas omnes causas onerosas non nisi legitimas, ac licitas & honestas prout de jure approbare intendimus. Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dicta Camerae citato dilecto filio ipsius Camerae Commissario Generali verificare, & in ipsa Camera examinari, & admitti facere teneantur, etiam si concessiones earundem immunitatum, & exemptionum ac litterae, cedulae motus proprii, chirographa, & aliae scripturae desuper emanatae, & emanatae alias in Camerae praedicta admittae, & admittae, ac in illa ejusque libris registratae, & registratae fuerint & sint, quatenus tamen causae onerosae huiusmodi pro vere onerosis, & legitimis, ut supra alias in eadem Camerae verificatae, & approbatae, ac praevia judiciali discussione sint legitime habitae: quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus, interim vero quamdiu non fuerint verificatae, minime suffragari, & praesentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

§. 8. Praeterea nostrae intentionis non est, sub revocationibus, & aliis supradictis comprehendere im-

Quae pro futuro tempore intelligenda.

Ecclesiasticis concessa ad juris terminos reducuntur.

Collegiis Urbis victus & vestitus permittitur.

Nepotibus & consanguineis Pontificum concessa a die suae assumptionis abolentur.

Excipiuntur immunitates certis personis de jure vel ex oneroso cum Camerae contractu competentes.

Nec non exemptiones Universitatibus concessae ex causis declarandis.

Et a Camerae Commissario examinandis & verificandis.

Præservantur Cardinalium, Camerae Clericorum aliorumque privilegia.

Quibusvis exemptiones auferantur.

Etiam Camerae appaltuum ratione exemptis.

Verba revocatoria.



Quæ re-  
vocantur  
ad termi-  
nos Con-  
stitutionis  
Pii IV. a-  
liorumque.

Injungi-  
tur Mini-  
stris ob-  
servantia.

Litiganti-  
bus super  
præmissis  
silentium  
imponitur.

Decre-  
tum super  
oblativis.

munitates, & exemptiones ejusdem S. R. E. Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus, nec non Camera prædictæ Clericis Præfidentibus, aliisque Cameralibus, qui in eadem Camerâ federunt, & sedent, concedi, seu admitti solitas, nec illas quibus Prælati, & Officiales Romanæ Curia, ac Prælati domestici, Cubicularii secreti, ac Secretarii, & alii familiares, & continui Commensales nostri, & Romani Pontificis pro tempore viventis in rotulo descripti gaudent, & gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum à Prædecessoribus nostris, & aliis supra expressis concessas, quas tamen ad terminos Constitutionis rec. mem. Pii P. P. IV. Prædecessoris pariter nostri, quæ incipit, Licet fel. rec. Paulus &c. cujus tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi, illamque exactè, & ad amissim juxta illius seriem, tenorem, & dispositionem in omnibus, & per omnia servari debere volumus, & illarum Constitutionum Apostolicarum super similitudinem exemptionum declaratione editarum. & ad illas tantum, & pro tempore & personis, ac eo modo, & formâ, quibus de Jure Communi illis competunt, & aliâs juxta ipsius Juris Communis, ac supradictarum & aliarum Constitutionum Apostolicarum dispositionem reducimus, neque aliter quam ut præfertur, sive in possessorio, sive in petitorio suffragari volumus & decernimus.

§. 9. Cæterum Appaltatoribus, Theaurariis, Depositariis, Commissariis, Executoribus, & cæteris agentibus, & Ministris dictæ Camera, ac Communitatum, & Universitatum prædictarum earundem serie præsentium districtius inhibemus, ne contra ipsarum præsentium dispositionem immunitates, & exemptiones, nisi ut supra exceptas, ac eas quas ex causâ vere onerosâ concessas in Camerâ prædictâ, ut præfertur admitti contigerit, ullatenus admittant: & si secus fecerint, id nemini eorum in suis computis, seu rationibus per eandem Cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

§. 10. Postremò lites quaslibet occasione privilegiorum, ac indultorum, nec non immunitatum & exemptionum hujusmodi, quomodolibet suscitatas, & in quibusvis Tribunalibus pendentes (illarum omnium & singularum statum, & merita, nominaque & cognomina Judicum, & colligantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, & alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes) à quibuscumque Tribunalibus hujusmodi ad nos earundem serie præsentium avocamus, illasque penitus, & omninò perpetuò supprimimus, & extinguimus, & pro suppressis, & extinctis haberi volumus, & declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

§. 11. Decernentes præsentibus Litteras, ac omnia, & singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in præmissis, sive eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati, & auditi, seu causæ propter quas ipsæ præsentibus emanarunt adductæ, verificatæ, seu aliâs sufficienter, aut etiam ullatenus justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâvis quantumlibet legitimâ, piâ, juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, occasione, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitiis, seu intentionis nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno & substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in Jus, vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque Ju-

ris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu simili concessio quempiam in judicio, vel extrâ illud uti, seu se juvare posse, neque easdem præsentibus sub quibusvis similibus, vel dissimilibus Constitutionum, ac revocationum, & Ordinationum suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendî, aut comprehensas censerî, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, quatenus opus sit, de novo concessas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & quâocumque spectabit inviolabiliter observari.

§. 11. Sicque in præmissis per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam caularum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quovis Sedis, & Camera prædictarum Officiales, & Ministros, & alios quoscumque, quâvis auctoritate, & potestate fungentes nunc & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 12. Quocirca dilectis filiis nostris, ac S. R. E. prædictæ Camera, seu Procamerario, nec non Vicecamerario, Theaurario, ac Clericis Præfidentibus, Commissario, & aliis Camera prædictæ Officialibus, ad quos spectat, præcipimus, & mandamus, ut præsentem nostram Constitutionem, & in eâ contenta quâocumque in omnibus, & singulis firmiter, & inviolabiliter observent, & faciant ab aliis observari.

§. 13. Non obstant, supradictarum litium pendentiâ, aliisque omnibus, & singulis præmissis, nec non nostrâ & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Jure quæsito non tollendo, ac quatenus opus sit, prædicti Pii Prædecessoris de gratis quâocumque interesse dictæ Camera concernen. in eadem Camerâ præsentandis, & registran. ita ut præsentibus in eâ præsentari, aut registrarî nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiisque quoque, indulcis, concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuum propriorum, & aliis scripturis, & litteris, etiam Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis, etiam ut præfertur qualificatis, ac speciali notâ, & mentione dignis, etiam nominatim essent exprimendi, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, & etiam inexcogitabilibus, & necessariò exprimendis, etiam contractus jurati cum Camerâ nostrâ Apostolicâ iniri, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautelâ firmatis, editis, seu factis, ac aliâs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si in eis caveatur, expressè; quòd nullo unquam tempore sub similibus, vel dissimilibus exemptionum, & immunitatum revocationibus, abrogationibus, annulationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus & Constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, eumque validissimum statum restituta, reposita, & reintegrata, ac etiam sub po-

Clausula  
sublata &  
decretum  
irritans.

Executo-  
res desi-  
gnantur.

Deroga-  
tio contra-  
riis.

teriori



steriori datâ per quascumque personas eligendas de novo concessa sint, & esse censentur, nec non pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio faciendâ, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 15. Ut autem eadem præsentibus Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, & auctoritate nostrâ decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & ardeant, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

§. 16. Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem fides in judicio, & extrâ illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Januarii 1677. Pontificatus Nostri anno primo.

J. G. SLUSTUS.

III. Facultates transferendi Pensiones annuas, sublatâ Urbani VIII. Constitutione revocatoria, pro dimidiâ parte conceduntur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta Sedis Apostolicæ providentia Christi fœdium commodis jugiter invigilans, ea quæ aliàs pro Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum exoneratione optimo quidem constituta fuisse consilio, si optatus inde effectus minime proveniat, sed gravia potius exoriantur incommoda, in melius commutare, atque reformare studet, sicuti magistra rerum experientia faciendum suadet, ac æqui bonique ratio, nec non Ecclesiarum, & Beneficiorum ipsorum utilitas, & Christi fidelium pax, & tranquillitas noscuntur postulare.

§. 1. Cum itaque dudum fel. rec. Urbanus P. P. VIII. Prædecessor Noster, omnes, & singulas facultates, indulta, & privilegia transferendi quascumque pensiones annuas super Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Abbatialium mensarum, & quorumvis Ecclesiasticorum, tam secularium, quam regularium beneficiorum quomodocumque qualificatorum fructibus, tam certis, quam incertis, ac etiam distributionibus quotidianis reservatas, quæ tamen per exactiorem integrarum pensionum hujusmodi ab ipsis translataris factam, realem, & actualem effectum fortita non essent, pro summâ, quæ medietatem veri annui valoris fructuum mensæ, seu beneficij, super quibus pensio transferenda, seu translata reservata reperiretur, excederet, quibusvis personis, etiam Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel aliâ quavis dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, sive etiam ad favorem quorumcumque locorum, piorum, & Collegio-

rum, quovis intuitu, & consideratione, etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & de Apostolicâ Potestatis plenitudine, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, tam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos, quàm ipsum Urbanum Prædecessorem concessa eatenus, revocaverit, cassaverit, & annullaverit, ac viribus, & effectu evacuaverit, ita tamen, ut facultates transferendi pensiones hujusmodi pro eâ parte, quæ medietatem fructuum, etiam incertorum, vel distributionum, quatenus super illis essent impositæ, non excederet, firmæ, & illas remanerent. Et insuper voluerit, & ordinaverit, eos qui prætextu excessus medietatis fructuum, seu distributionum hujusmodi partem pensionum translatarum solvere recusarent, ad excessum ipsum probandum teneri, nec interim istius dispositionis prætextu processum executivum, aut solutionem integre pensionis, quatenus aliàs illis locus esset, impediri, aut retardari debere, & aliàs prout in eisdem Urbani Prædecessoris Constitutione desuper editâ in Cancellariâ Apostolicâ Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXIV. die XXI. v. Januarii publicatâ, cujus tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Verùm cum quotidiano experimento compertum sit, prænaratam Constitutionis hujusmodi dispositionem Ecclesiis, & Beneficiis pensionum hujusmodi onere gravatis, illasque obtinentibus, qui excessum medietatis fructuum iisdem pensionibus gravatorum probare, & interea donec rei judicatæ effectum desuper obtinuerint, pensiones ipsas solveretentur, parum esse proficuum, & è converso tam transferentibus, quàm translatis pensionum hujusmodi non modicum adferre incommodum; illis quidem, quod propter ignorantiam, tam veri valoris annui fructuum, & distributionum, tum quantitatis aliarum pensionum desuper reservatarum frequentissimè, ac serè semper dubij sint, & incerti, quas pensiones transferre possint; his verò quòd lites super pensionibus in eos translatis, quas Ecclesiarum, & Beneficiorum hujusmodi possessores, sub prætextu excessus prædicti impugnant, sustinere, & prosequi cogantur: ita ut eisdem litibus discutendis, & decidendis Tribunalia assidue fatigentur, partes vere ærumnosis dispendiis prægraventur.

§. 3. Hinc est, quod nos litibus, & dispendiis hujusmodi ansam præcidere, ac tam Ecclesiarum, & Beneficiorum prædictorum exonerationi, quàm illas, & illa obtinentium, nec non eorum, quibus ejusmodi facultates transferendi pensiones ab hac S. Sede concessæ sunt, & in posterum concedentur, ac illorum, in quos pensiones ipsæ transferentur, commoditati, securitati, & indemnitati, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac quorumcumque privilegiorum, indulgentiarum, & facultatum transferendi pensiones hujusmodi, seu illarum loco fructus, redditus, & proventus Ecclesiasticos reservatos, & reservandos quibusvis personis, cujuscumque status, gradus, ordinis præminentia, & dignitatis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, seu alias specificâ, & individua mentione & expressione dignis, etiam motu proprio, ac de Apostolicâ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis clausulis, derogationibus, & decretis, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per nos, & Sedem prædictam hætenus quomodolibet concessorum litterarumque Apostolicarum, tam sub plumbo, quàm in simili forma Brevis, Cederalium motus proprii desuper expeditarum, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis motu subscriptorum tenores, etiam veriores, & datas, aliaque omnia & singula, etiam specialem, & individuum

Præsentibus publicandæ.

Et transumptis fides adhibenda.

D. 15. Januarii 1677. Pontificatus Nostri anno primo.

Exordium à fidelium commodo.

Urbani VIII. Constitutio recedentur.

Exponuntur incommoda inde provenientia.

Quare ejusmodi facultates.

Quibusvis Personis quomodolibet concessæ